Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

manducamus, et in memoriam tamquam in uentrem mittit. Sed quid facit pecus quando ruminat? Illud quod in praesepe iactatum erat, et in uentre repositum, reuocat ad os, et in ipsa dulcedine conquiescit. Hoc dixi ut commendarem uobis, ne sitis pecora inmunda. Accepit illud in uentre postea non ruminat, et transit tota dulcedo, et nichil uobis prodest quod reconditum est, quod non redit ad os dulcedo. Audite illud expresse et aperte dictum alia sententia quod obscure et mystice de ruminantibus animalibus dictum, alio loco aperte expositum est, ut intellegamus quid sit. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autem glutit illud. De eo quod de domino saluatore scriptum est. Ascendet sicut uirgultum et sicut radix de terra sitienti.

xxx.v. DE DOMINO ac saluatore nostro fratres dilectissimi ante multa tempora prophetatum est ascendit sicut uirgultum et sicut radix de terra sitienti. Quare ut radix? Ideo non est species illi neque honor. Passus est, humiliatus est, consputus est. Non habebat speciem, non apparebat, cum deus esset. Sed quoniam radix non est pulchra, sed intus habet uim pulchritudinis suae. Attendite fratres mei, uidete misericordiam dei. Attendis arborem pulchram, amenam, foliis uirentem, fructibus opulentam. Laudas. Delectat aliquid de fructibus carpere, sub umbra eius sedere et requiescere ab aestu. Laudas totam illam pulchritudinem. Si radix tibi ostendatur, nulla pulcritudo in ea est. Noli contemnere quod abiectum est, unde processit quod miraris, ut radix in terra sitienti. Attendite modo caritatem arboris. Creaui